

Presbyter assist. ad dexteram Episcopi stans . . . dicit in Confessione: „Tibi Pater“ et „Te Pater“, profunde versus Episcopum caput inclinans.

Caer. Ep. I. I. c. VII. n. 3.

Ministri erga Episcopum: „Tibi Pater“ et „Te Pater“ . . . dicunt.

Caer. Ep. I. II. c. VIII. n. 31.

3) Non est Titulus Capituli.

Capitulum Cathedralis non est salutandum a Concionatore cum titulo: *Reverendissimi*, neque in absentia Episcopi. S. Congreg. Rit. in Capuana 23. Januarii 1700 in respons. ad III. apud *Monacell.* tom. 4. suppl. ad 1. tom. n. 20.

REVERENDUS.

Diaconus ministrans thus Canonico celebranti dicere debet: *Reverende Pater.*

n. 3516 ad 6 die 4. Apr. 1699.

Vd.: *Mansionarii* (Diac. etc., decr. n. 4458 ad 4); *Thus* (impos.); *Incessum* (impositio).

REVERENTIA.

1) Acolythorum in vesperis.

Vd.: *Vesperae* (ritus — Acolythi —).

2) Erga Altare.

Vd.: *Rever. erga Episcop.*

Accedens primum ad Ecclesiam sive capellam Pontifex genuflectit ante altare super faldistorium et capite detecto orat. Cardinales, Praelati et alii omnes tam Clerici quam Laici similiter primum intrantes genuflectunt in terram orantque. Pontifex surgens ab Oratione cum mitra veneratur altare caputque inclinando, antequam inde discedat. Cardinales quotiens vadunt versus altare vel ante illud transeunt,

profunde caput inclinant altari. Alii omnes, tam Episcopi quam Clerici sive Laici transeuntes ante altare genuflectunt.

Catalan. Caer. Eccles. rom. I. II. p. 329.

3) Inter Archiepiscopos et Episcopos.

Archiepiscopo reverentiam ut majori ab Episcopo deberi.

n. 561 die 13. Oct. 1618.

Vd.: *Praeses* (c. VII.); *Reverentia Episcopi.*

4) Inter Canonicos et Canonicorum erga Beneficiatos.

Urbis s. Petri.

In causa vertente inter Capitulum s. Petri ex una et Capitula s. Mariae Transtiberim et s. Laurentii in Damaso ex altera partibus de et super receptione dictorum duorum Capitulorum in processione solita celebrari in die festo s. Marci capitulariter accedentium una cum toto Urbis Clero ad Ecclesiam s. Petri

S. R. Congregatio die 15. Aprilis 1606 audita relatione Illmi et Rmi D. Cardinalis Farnesii, cui haec causa ab eadem S. Congregatione commissa fuerat, omnibusque rationibus hinc inde deductis mature perpensis et consideratis, de voto omnium et singulorum Illmorum et Rmorum DD. Cardinalium in Congregatione praesentium, nemine eorum prorsus discrepante, decretum per modum provisionis alias in eadem causa ab eadem Congregatione factum sub die 19. Aprilis 1603 tamquam decretum hujus causae decisivum in perpetuum servandum esse censuit et declaravit, videlicet: Quod proxime dicta duo Capitula s. Mariae Transtiberim et s. Laurentii in Damaso illorumque Canonici Ecclesiam s. Petri ingredientibus

Capitulum s. Petri et Canonicos illius detecto capite decenter salutare debeant ac vicissim Capitulum et Canonici s. Petri praedicta duo Capitula s. Mariae et s. Laurentii illorumque Canonicos, dum progrediuntur similiter detecto capite, et aliquantulum ab eorum sedibus assurgendo, resalutare et humaniter atque honorifice, prout ecclesiasticos decet viros, recipere debeant. Hoc autem addito, quod dicti Canonici s. Mariae et s. Laurentii transactis Canonicis s. Petri debeant etiam detecto capite salutare Beneficiatos et Clericos ejusdem Basilicae s. Petri, et ipsi Beneficiati et Clerici teneantur omnino assurgere et stantes detecto capite resalutare ipsos Canonicos s. Mariae et s. Laurentii. Et de hujus Congregationis S. R. sententia et opinione, facta relatione SSmo D. N. Paulo PP. V. in consistorio secreto per infrascriptum Cardinalem Comensem hac die infrascripta, Sanctitas Sua sententiam Congregationis approbavit, laudavit et omnino ac ad unguem exequi mandavit, non obstantibus quibuscumque, sub poenis et censuris arbitrio S. Congregationis imponendis. In quorum fidem praesentes per infrascriptum ejusdem Congregationis Secretarium fieri fecimus et manu nostra propria subscripsimus nostrisque soliti sigilli impressione muniri jussimus.

Datum Romae in aedibus nostrae solitae habitationis die 17. Apr. 1606. *Pto. Episcopus Ostien. Card. Comen. J. P. Mucantius Secret. Congr.*

(Anal. J. P. 1863 p. 57 n. 205.)

5) Cardinalium.

a) Erga Card. celebrantem.

Cardinali celebranti in praesentia Papae neque fiunt genuflexiones ab aliquo, neque fit ei praegustatio sive credentia et similiter in omnibus aliis

actibus publice coram Pontifice nemini isti duo actus reverentiales exhibentur, nisi tantum Romanorum Imperatori, si adesset in convivio cum Papa, non Regi, non Cardinali, non Principi quantumcumque Maximo. In absentia vero Pontificis Cardinali celebranti fiunt genuflexiones a Scutiferis, cum lavat manus, et a Capellanis, dum accipit et dum dimittit sandalia, et cum fimbrias tenent, et fit praegustatio. Et quoniam Cardinalis celebrans, absente Pontifice, cum e faldistorio vadit ad altare, cum mitra facit reverentiam Cardinalibus, caput illis inclinando, videtur valde consentaneum, et tunc Cardinales alii ei assurgant et in reverentia correspondeant.

Catalan. Caer. Eccles. rom. I. II. p. 335.

b) Episcoporum erga Cardinales.

Quod aliqui ex Reverendissimis Dominis Cardinalibus permittant, ut audivi, Episcopos ante se loqui genuflexos et in mensa, dum manus lavant, similiter mantile ministrare, valde absurdum videtur, et quamvis saepe apud plerisque Rmos Dominos in convivis fuerim, et ante et postquam inter Episcopos indignus sum, nunquam tamen id servari vidi. Adscribendum est hoc, pace illorum dixerim, ignaviae et vecordiae Praelatorum, qui talia faciunt, qui supremam in Ecclesia Dei episcopalem dignitatem non cognoscunt, sive eorumdem ambitioni atque adulationi, qui, ut gratiam Cardinalis aucupentur, dignitati suae rationem non habentes eam serviliter deturpant. Cardinales autem, qui talia sive ex inadvertentia sive ex alia causa patiuntur, in charitate Dei obsecro, ut importunas hujusmodi adulationes rejiciant et cogitent, Summum Pontificem non alio titulo quam episcopali decorari, et cum is

publice et in re divina lavat manus, non Episcopus aliquis sed Capellanus suus Auditor Rotae mantile subministrat. Quod si forte aliquos mei similes tanto fastigio viderint, non personam sed sacrosanctam dignitatem in eis venerentur et opera illorum utantur in his verbis, quae dignitati utriusque congruunt. Decet tamen Episcopos in omnibus publice et private, quantum per dignitatem licet, Rmos Dominos Cardinales honorare et venerari, et eis pro viribus assistere, obsequi et inservire; nec minus convenit, Cardinales ipsos benigne suscipere Episcopos, et quos Summus Pontifex Fratres appellat, non ut servos sed ut Confratres honorare. In Capella, praesente Pontifice, nulla Cardinalibus per transeuntes ante illos fit reverentia, nisi per illos, qui dant incensum sive pacem, ut suo loco dicemus. Absente vero Pontifice, fit reverentia per transeuntes ante eos, caput inclinando tam per Celebrantem quam per alios ministros.

Catalan. Caer. Eccles. rom. l. II. p. 337. Vd.: Praeses.

c) Erga Cardinales.

Rmi Domini Cardinales, qui bases et columnae sunt sacrosanctae rom. Ecclesiae et membra nobilissima mystici Corporis, merito ab omnibus et ubique venerandi sunt et maxime honorandi, ita tamen, quod sit differentia inter ipsorum et Summi Pontificis reverentiam.

De reverentiis, quae privatim fiunt Cardinalibus.

In aliis autem actibus tam domi quam alibi, etsi nonnulli dicant in curia romana genuflexiones Pontifici tantummodo deberi, ego autem arbitror, non esse absurdum, sed satis honestum, simplices laicos et Clericos

non Praelatos in primo congressu ante Cardinales genuflectere, non tamen in palatio apostolico et minus praesente Pontifice; sed ad modestiam et benignitatem Cardinalis pertinet, et censeo, quod non dimittant illos diutius permanere genuflexos, et Clericos praesertim in sacerdotio aut aliqua dignitate ecclesiastica constitutos. Sed ut primum ante se genua flexerint, stare jubeant neque aliter eos audiant, quod a pluribus Rmis Patribus servari vidi domi. Cum Cardinales lavantur ante comestionem vel post, consueverunt omnes laici domestici genuflectere, alii caput detegere.

Catalan. Caer. Eccles. rom. l. II. p. 333. 336.

d) Inter sese.

Cardinales inter sese et gestis et verbis et nutu summam exhibent reverentiam, stando, sedendo, eundo, equitando et in rebus omnibus alteri deferendo. Quando aliquis Cardinalium in praesentia Pontificis publice celebravit, si Papa discedat a capella, antequam Cardinalis deponet sacras vestes, tunc duo sui Ordinis Cardinales remanent in scamno suo illum expectantes, et cum ille, reassumpta cappa sua, a faldistorio discesserit, vadunt illi obviam, congratulantur de celebratione devote peracta et deducunt illum, ubi sunt alii Cardinales. Si autem Papa adhuc est in capella, ille, reassumpta cappa, vadit ad locum suum, et nullus Cardinalis illum expectat aut obviam vadit, neque per illos fit ei assistentia, praesente Pontifice. Fit autem ex eis assistentia, absente Pontifice, in principio et in fine ab aliis Praelatis domesticis suis aut particularibus amicis suis, et cum Cardinalis, absente Pontifice, est facturus Officium, semper, antequam incipiat, petit licentiam

per Caeremoniarium ab aliis Cardinalibus, et quoties ex faldistorio vadit ad altare, facit eis reverentiam, et illi aliquantulum ei assurgere debent.

Quando assurgunt Cardinales et Praelati in Capella.

Inter Sacra, si Episcopus aut Presbyter Cardinalis assistens assurgit aliquid acturus aut dicturus, duo Diaconi assistentes et similiter Episcopi assistentes assurgunt, alii autem Cardinales et Praelati non surgunt. Si vero aliquis ex aliis Cardinalibus surgit, omnes alii Cardinales et Praelati, qui sunt in Capella, surgunt praeter assistentes.

Catalan. Caer. Eccles. rom. l. II. p. 332 — 333.

e) Erga Pontificem.

Vd.: *Rever. SS. Pont.* (quae ei exhib.).

De solemni reverentia Cardinalium, quomodo et quando fiat.

Quotiescumque Pontifex paludatus et mitratus in publicum exit sive ad divinum Officium sive ad Consistorium, exhibetur ei solemnis reverentia a Cardinalibus in hunc modum. Postquam Pontifex in Sede sua aliquantulum quieverit sive in Capella sive in publico Consistorio, assistentibus sibi duobus Diaconibus hinc inde, Prior Episcoporum Cardinalium incipiens anteriorem cappae suae partem manibus elevans et caudam illius per terram trahens, versus Pontificem proficiscitur. Cum autem ante illius faciem ex opposito venit, firmans se et manibus extensis ab interiori parte cappam capiens, manus sic cappa involutas elevans, simul jungit ante pectus, et profunde ante Pontificem caput et humeros inclinatur. Idem prius facit ante altare, si est in Capella; tum recta procedens ad Pontificem, manus ad pectus cum cappa tenens, ne illa

gressum impediatur, gradus solii pontificalis ascendit et Pontificis manum dextram sub auriphrygio pluvialis protensam osculatur. Deinde aliquantulum retrograde a Sede discedens, profunde iterum Pontifici se inclinatur, et ad sinistram suam se vertens, ad locum suum revertitur. Item omnes faciunt suo ordine. Prior Episcoporum Cardinalium, si Missa tunc est celebranda, cum fecit reverentiam, firmat se ad dextram Pontificis et ministrat incensum, ut inferius dicemus, cum de incensatione tractabimus. Inde ad locum suum revertitur. Duo Diaconi assistentes, si non fecerunt reverentiam in camera Pontificis, cum illum Sacris induerunt, quod facere plerumque solent, faciunt nunc in loco suo post Presbyteros Cardinales. Hujusmodi reverentia a Cardinalibus non fit nisi semel in die, quocumque tempore, neque unquam eodem die reiteratur, etiam si bis eodem die convenerint, videlicet ad Missam et ad Vesperas; et nunquam fit, nisi Pontifex sit cum pluviali et mitra, neque unquam fit in Officio defunctorum aut in die Veneris Sancti, etiamsi Papa haberet pluviale et mitram.

Item Cardinales, quotiescumque Papa surgit in Capella, et ipsi surgunt; transeunte ante eos Pontifice aut in publico detecto capite inclinati loquuntur; clam vero et in Consistorio secreto jussi sedent et cooperiunt, similiter cum Papa vertit ad quemlibet eorum sermonem, ille talis surgit et caput detegit, et sic permanet, nisi jubeatur a Papa sedere, et similiter cum respondet.

Item cum Papa nominat *Venerabiles Fratres nostros sanctae romanae Ecclesiae Cardinales*, omnes assurgunt aliquantulum et caput detegunt. Cardinales discedentes de curia vel de novo redeuntes, sive publice sive privatim recedant vel recipiantur a Pon-

tifice, osculantur pedem ejus et elevati manum et os, si invitentur, maxime cum revertuntur.

Catalan. Caerem. Eccles. rom. l. II. p. 331—332.

f) Quando Card. venit jam inchoato choro.

Vd.: *Reverent. in choro.*

Si quis Cardinalium, incepto jam Officio, Pontifice in Solio suo residente, ad capellam venerit, primum ut cancellos ingressus est, paululum progressus genuflectit versus altare et orat, tum surgens procedit et facta, ut alii, reverentia, caput inclinando altari et Papae, ascendit ad Sedem et osculatur manum Pontificis sub auriphrygio et cum inde discedit iturus ad locum suum, assurgunt omnes Cardinales et omnes Praelati et antequam ipse a Pontifice, facta reverentia, discedat, nemo illi neque Cardinalis, neque Praelatus assurgit. Quod si forte dum ille venit, Papa staret, Orationes, Evangelium sive tale quippiam audiens, tunc Cardinalis, cum surgit ab Oratione, stet et expectet, quoad Papa sedeat et tunc vadit ad reverentiam exhibendam. Quod si venerit, dum fit per alios reverentia, vadat in locum sui Ordinis. Quando autem in absentia Papae fit Officium et aliquis Cardinalium ad capellam venerit, incepto jam Officio, primo genuflexus orat versus ad altare, ut supra; tum surgens capite detecto, vertit faciem ad sedes Praelatorum, caput inclinando quasi eos salutans; qui omnes, ut primum ille surrexit ab Oratione, ei assurgunt et detecto capite, et salutatis Praelatis ille pergit versus Cardinales sui Ordinis et non vadit ad locum suum directe, nisi esset ultimus, sed ab ultimo incipiens, quasi ibi remanere vellet, invitatur a singulis, ut

ascendat, quousque veniat ad locum suum directe, nisi esset ultimus, et ipse modeste semel atque iterum invitatur subsequentem, ut praecedere velit et tandem in locum suum residet. Hoc idem facit, quotiescumque aliquis venit post alios, praesente vel absente Pontifice; semper incipit ab ultimo loco Presbyterorum, si est Episcopus sive Presbyter; Diaconorum, si est Diaconus. Et nota, quod quamdiu unus ex Cardinalibus stat, omnes Cardinales et omnes Praelati stare debent, praeterquam in praesentia Papae assistentes, ut supra diximus.

Catalan. Caer. Eccles. rom. l. II. p. 333.

6) Erga Celebrantem in Pontifical.

Vd.: *Reverent. erga Episcop.; Genuflexio ante Episcop.*

Ad dubium: Utrum reverentia per genuflexiones debeat celebranti in pontificalibus, quando est Episcopus extraneus vel Praelatus habens usum pontificalium vel Abbas sive in proprio monasterio sive ex speciali privilegio extra proprium monasterium?

Votum Magistri Caeremon.:

Genuflexiones Episcopo debentur in loco suae jurisdictionis et in signum ejusdem. „Archiepiscopus quamprimum suam provinciam intraverit... sibi occurrentes subditos, qui genuflectere debent, signo crucis super illos facto, benedicit, atque ita etiam faciet Episcopus, cum suam dioecesim intraverit“, ait Caeremoniale episcoporum lib. 1. cap. 2. Et ad Clerum spectatum quod pertinet „regulariter quoties ipsi Canonici transeunt directe ante altare vel ante Episcopum, caput et humeros profunde inclinant; beneficiati autem et caeteri de Clero genuflectere debent transeundo tam ante altare, quam ante Episcopum“, ut praescribit

idem Caeremoniale cap. 18. n. 3. ejusdem libri. Ad quem locum ait Catalanus in suis commentariis: „Debent et ipsi (Mansionarii) sicut et caeteri de Clero genuflectere; est enim solorum Canonorum praerogativa, qui, ex eo quod consilarii Episcopi sunt ejusque senatus, non genuflectunt quidem ante Episcopum sed caput profunde atque humeros inclinant.“ Suffragantur rubricae generales missalis romani de ritu celebrandi Missam cap. 12. §. 3., ex quibus celebrans dicto: placeat tibi Sancta Trinitas etc. debet quasi licentiam benedicendi petere, si adest, a Summo Pontifice *per genuflexionem*, si Cardinalis ac Episcopus in dioecesi sua, *capite inclinato*. „Si autem, verba sunt rubricae, celebravit coram Patriarcha, Archiepiscopo et Episcopo extra eorum provinciam, civitatem vel dioecesim constitutis, eis absque alio respectu, ut caeteris qui intersunt, more consueto benedicit.“ Ita, si a pari argumentari licet, salutatio per genuflexionem Episcopo extraneo non competit, ac neque dum celebrat in pontificalibus, ut fert praxis communis. Unum ego adducam testimonium ex praeclaro opere „Il seminarista istruito nelle funzioni ecclesiastiche, specialmente per la metropolitana di Benevento“ quod jussu Cardinalis Orsini Archiepiscopi deinde Benedicti XIII. exaravit Bartholomaeus Riceputi. Loquens de Archiep. dioecetano semper genuflexionem praescribit, ex gr. part. 1. §. 5. art. 5. n. 19.: „Arrivati al trono (i seminaristi delatori dei sacri paramenti) si fermino sul piano avanti il primo gradino di quella sede, e facciamo subito una genuflessione, e deposto il paramento di nuovo genuflettano.“

Agens de vera methodo „per una messa solenne cantata da chi usa gli abiti pontificali“ absente Archiepiscopo, non genuflexionem sed reverentiam

praescribit §. 1. n. 10. „postosi in mezzo ai ceroferrari presentasi avanti al celebrante (in Faldistorio) ove tutti in insieme profondamente riveriscono etc. Et paulo post: nel tempo medesimo, i ministri del libro col cantone chiuso ante pectus, e della bugia già accesa presentansi a sinistra del celebrante vel faldistorio, e fatta la profonda riverenza“ etc.

Hinc respondendum censeo: „Negative quoad Episcopum extraneum et Praelatos habentes usum pontificalium. Affirmative quoad Abbates regulares in suae jurisdictionis Ecclesia tantum.“

S. C. resp.: Negative quoad Episcopum extraneum et Praelatos habentes usum pontificalium. Affirmative quoad Abbates regulares in suae jurisdictionis Ecclesia tantum.

Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 348 et 355.)

7) In Choro.

Vd.: *Chorus* (reverentia); *Reverent. Cardinal.* (quando venit jam etc.); *Reverent. in Triduo sacro.*

8) Concionatoris.

Vd.: *Concionat.* (salut.); *Magistrat.* (reverent.); *Praeses* (cap. VII.); *Erga Cardinal.*, vd.: *Praeses* (cap. XI.) et *Reverentia erga Cardinal.*

9) In Ecclesia.

Vd.: *Pauperes*; *Sacrista*; *Laici* (quomodo).

10) Episcopi erga fideles et personas distinctas.

Vd.: *Praeses* (cap. VII.); *Rev. erga Celebr.*

Episcopus assistens divinis Officiis cum cappa non debet singulos Canonicos ante ipsum salutare delegendo caput sed satis est illis manu benedicere.

S. R. C. in *Elven* die 10. Januarii 1604 ad 5.

11) Erga Episcopum.

Vd.: *Chor.* (reverentia); *Praeses* (cap. VII.); *Reverentia* (erga Celebr. in Pontif.); *Rever. cor. SSmo expos.*; *Genust. ante Episc.*

Canonicus seu Dignitas hebdomadarius paratus cum pluviali seu planeta ac Diaconus et Subdiaconus illi assistentes, itidem parati transeuntes ante Episcopum, dum ei faciunt reverentiam, illam debent facere capite detecto. n. 2503 ad 1 die 31. Maii 1670.

In eundo salutabit Celebrans se inclinando profunde Episcopo, deinde genuflectat SSmo et procedat in Missa; in redeundo genuflectat SSmo, deinde se inclinet Episcopo et procedat, quo debet. Celebrans nunquam genuflectat Episcopo, sed se inclinat. n. 3551 ad 1 die 13. Mart. 1700.

In *processione* SSmi Corp. Christi seu aliis Celebrans parum ab Episcopo distans non debet eidem se inclinare, antequam Orationem recitet. n. 3551 ad 2 die 13. Mart. 1700.

In collecta Missae conv. Episcopo ibidem assistenti non debetur reverentia, sed caput esse inclinandum versus librum exprimendo ejus nomen. n. 3551 ad 3 die 13. Mart. 1700.

Subdiaconus tenetur reverentiam facere Episcopo priusquam porrigat et superimponat manipulum. n. 3845 ad 4 die 27. Febr. 1712.

Episcopo in Romana Curia celebranti coram Papa vel coram aliquibus Cardinalibus nullae fiunt genuflexiones et non fit praegustatio. Si vero neque Papa neque aliquis Cardinalium adsit, fiunt genuflexiones et praegustatio ut in sua Ecclesia, si voluerit. Episcopus cum Papa loquens, genuflexus semper permanet, dum loquitur et dum ei per Papam respondetur.

Catalan. Caerem. Eccles. rom. l. II. p. 339.

Non sunt inter se concordantes doctores: *an Regulares exempti teneantur Episcopo praestare reverentiam.* Distinguunt nonnulli inter exemptos illos, quibus ipsi Episcopi juxta facultates, quas olim habebant, exemptionem a sua jurisdictione concesserunt, et exemptos ex privilegiis S. Sedis ab eadem episcoporum jurisdictione. Quoad exemptos primi generis, nemine dissentiente, admittunt teneri eos praestare reverentiam Episcopis, perinde ac Liberti praestare reverentiam tenentur patronis, a quibus manumissi sunt. At quoad exemptos secundi generis, sunt qui negant teneri ipsos praestare reverentiam Episcopis; *Felin.* in cap.: *Quum inter.* n. 3. et 4. de re judicat., et in cap.: *Conquerente* fere per tot. de Offic. Ordin.; *Tondut.* quaest. benefic. cap. 60. n. final.; *Roderic.* quaest. Regular. tom. 9. 63. art. 9.; *Fusc.* de Visit. Eccles. lib. 2. cap. 10. n. 11.; *Paris.* de resignat. benef. lib. 3. cap. 11. fere per tot.; *Barbos.* de Offic. et Potest. Episcop. part. 3. alleg. 105. n. 65.; *Cirin.* in Nex. Rer. Jurisd. cap. 6. n. 293.; *Rot. cor. Puteo* dec. 114. per tot., cor. Seraphin. dec. 125. n. 19.

Caeterum non recedendum ab opinione, quam doctores *ab Auctore* n. 84. allegati praesidio Constitut. Leonis X. incipientis: *Intra etc.* tenent, scilicet teneri quoscumque exemptos reverentiam Episcopo praestare, et jure meritoque, quum nil convenientius sit, quam quod et exempti a jurisdictione Episcopi etiam Episcopo reverentiam praestent ratione dignitatis. Confer. *Tamburin.* de Jur. Abbat. tom. 1. disp. 15. q. 7. n. 45., *Borell.* in Addit. ad Bellug. in specul. princip. rubric. II. §.: Videndum lit. F., *Campañil.* in divers. Jur. part. 2. q. 12. n. 13. *Rot.* in recent. dec. 111. n. 16. p. 5. tom. 1.

Posita vero hac opinione non incongrua est quaestio illa: *An Regulares exempti transeundo ante thronum Episcopi teneantur eidem genuflectere seu potius caput et humeros inclinare?*

Non improbabile videtur, quod teneantur non ad genuflexionem sed potius ad inclinationem capitis et humerorum, idque quia obligati ad reverentiam teneri nequeunt ad genuflexionem, utpote quae adorationis species potius est, quam reverentiae, ut post *D. Ambrosium* lib. 6. Hexamer. cap. 9. tradunt *Alcuin. c.*: De Parascev., Honor. in Gemma lib. 1. cap. 117., *Raban.* ibid. de Instit. Clerical. cap. 41., optime *Gavant.* in Thesaur. Sacror. Rituum part. 1. tit. 17., *Pasqualiq.* de Sacrific. Miss. quaest. 225. n. 5.

Quo fit, ut quoties in rubricis Missalis ac Caeremonialis mentio occurrit reverentiae, non genuflexio sed capitis et humerorum inclinatio intelligatur, ut post Petrum de Ruiz et alios firmat Piscar. in Prax. Caerem. lib. 1. sect. 7. cap. 4. n. 2. et lib. 2. sect. 1. cap. 4. per tot. optime cap. 5. n. 7.

Nec obstat Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 18., in quo habetur: *Beneficiati autem et caeteri de Clero genuflectere debent transeundo tam ante altare quam ante Episcopum.* Impugnari enim nequit, quod ubi Caeremoniale expressim praescribit genuflexionem, ea omitti nequeat. At negatur, quod l. c. sub verbis illis: *Et caeteri de Clero,* intellexerit de Regularibus. Quidquid enim sit, an in hac materia praepjudiciali nomine *Cleri* veniant *Regulares*, ex duabus solidis animadversionibus patet mox dictis verbis: *Et caeteri de Clero,* non venire *Regulares.* Prior inde scateat, quod Caeremoniale tunc, quum comprehendere intendit *Regulares*, haud utitur verbo generali *Clericorum*, sed semper expresse meminit de ipsis *Regularibus.* Vide lib. 1. cap. 2. lib. 2.,

cap. 33. et cap. 38. Si igitur Caeremoniale in loco, de quo disseritur, expresse haud meminit de *Regularibus*, tutissime affirmari potest, minime eos comprehendisse, argumento ducto a discretiva, quae aequè in legibus ac in aliis dispositionibus interpretandis locum sibi vindicat. Altera autem animadversio promanat ex ipsa materia, de qua eo loci tractat *Caeremoniale*, comprehensioni *Regularium* aperte resistente. Tractat enim inibi *Caeremoniale* de *Divinis Officiis*, in quibus *Canonici beneficiarii* alique de *Clero saeculari*, non item *Regulares*, interveniunt. Qua de re certissima res videtur, quod *Caeremoniale* minime comprehendere intellexerit *Regulares* sub verbis illis: *Et caeteri de Clero,* quum nulla melior detur interpretatio verborum vel obscurorum vel ambiguum legis, quam ea, quae desumitur ex *subjecta materia.*

Non ignoro tamen in contrariam visse sententiam *Sac. Cong. particularem* in *Cajacen.*, *Sac. Cong. Episc.* et *Regularium negotiis* praepositam in *Suessana*, tum recentius *S. R. C.* in *Monopolitana.* At in causis *Cajacensi* et *Suessana* observantia militabat contra *Regulares.* Et in causa *Monopolitan.* *Regulares* sua jura non deduxerunt. Accedit, quod obtinuerunt novam audientiam: Causa vero nondum fuit proposita.

12) Ad „Gloria Patri.“

Vd.: *Gloria Patri.*

13) Incensantis.

Thurificationem faciendam esse (per *Acolythum* *Canonicis Colleg. Casal.*) ... cum inclinatione Capitis antea et post singulis *Canonicis.* n. 4232 die 14. Apr. 1753.

14) Coram Laicis.

Vd.: *Missae cor. Laicis*; *Praeses* (cap. VII.); *Magistratus* (rever.).